Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus de sacramento poenitentiae - Cod. Ettenheim-Münster 215

Zugmeyer, Martin

[Marmoutier im Elsass], 1712

Quaestio 5ta

urn:nbn:de:bsz:31-118991

Visual Library

accedit, qd praeceptum charitatis erga seipsum qua quis tenetur ~~praeparare~~ procurare sibi remedia salutis, videatur obligare morituros ad tam salutare sacramentum in tam periculoso agone sibi procurandum. hinc ergo plura decreta conciliorum severissime reprehendunt parochos qui negligunt illud ministrare. adeoque nec videtur sine gravi culpa a periculose infirmis negligi posse.

Obj. S. Jacobus dicit extremam unctionem praecipere nomine Christi dum ait infirmatur quis, sacerdotem inducat presbyteros; ergo obligamur praecepto divino ad eam suscipiendam.

R. N. ass. nam ut ait Trid. sess. 14. c. 1 de hoc sacramento, Apostolus ~~n praecip.~~ illud fidelibus commendavit ac promulgavit, adeoque non praecepit.

Inst. Trid. ibi c. 3. extremam unctionem appellat mandatum apostoli ergo.

R. N. cons. nam Trid. per ly mandatum apostoli nihil aliud vult quam extremam unctionem a Christo institutam esse, qua rejicit haereticos, qui dicunt hanc unctionem esse figmentum humanum vel ritum a Patribus acceptum, nec promissionem gratiae habentem.

Quaestio 5ta.

Resolvuntur aliqua dubia practica circa hoc sacramentum.

Quaeres 1mo an quis defectu olei infirmorum possit ad hoc sacramentum adhibere chrisma?

R. Negative ex conc. Mediolanensi sub S. Carolo, ubi S. Carolus praecepit ut qui per errorem loco olei infirmorum chrisma adhibuisset, deberet totum repetere; est contra Laym. hic c. 2. n. 3. ubi talem errorem Deo commendandum esse suadet.

Dices Innoc. 1mus in epist. ad decentium c. 8. ait non esse dubium de fidelibus aegrotantibus accipi debere illud infirmatur aliquis etc. qui sancto olei chrismatis perungi possunt, ergo potest adhiberi chrisma.

R. N. cons. Innoc. per ly chrisma intelligit oleum infirmorum, quod sub ipsum statim Ecclesiae initium a chrismate distinctum fuit, appellat autem illud oleum chrisma quia haec vox universim sumpta significat oleum, quod est signum gratiae sanctificantis.

Quaeres 2. quid si per annum oleum infirmorum deficiat?

R. debet parochus antequam illud deficiat admiscere oleum olivae non benedictum, ut probat S. Thom. ex Cap. quod in dubiis de consecratione ecclesiae ubi Alexan. 3. ait: nec negamus quin oleum non consecratum consecrato possit commisceri, quod praecipue in tali casu solet, hoc tamen fieri debet in minori quantitate, quam sit oleum benedictum, ut docet rituale Roman: et merito, nam alias fieret materia sacramenti dubia huius sacramenti.

Quær. 3. an unctiones fieri debeant immediate per manum Sacerdotis. ?
R. id quidem ordinarie fieri debet iuxta præscriptum ritualis Rom: non tamen est de essentia
Sacramenti ut est in Sacramento confirmationis propter impositionem manuum ibi necessariam. hinc in pluribus
Diœcesibus permittunt ritualia ut tempore pestis et alterius contagionis, imo iuxta
rituale Constantiense in unctione leprosorum, pestiferorum, et aliorum nimis
squalidorum, uti liceat virgula et bacillo oblongo, dextris gossypio
quo mediante inungat.
Quær. 4. an unctio fieri debeat in forma crucis?
R. congruum est ut sic fiat iuxta S. August. qui nullum Sacramentum, dicit, sine celebrari
sine cruce, non tamen est de essentia Sacramenti; imo neque quidem est de præcepto, sicut nec explicita
invocatio SS. Trinitatis, quippe quæ in multis Diœcesibus sicut et in nostra omittitur
Quær. 5. quonam hoc Sacramentum producat suos effectus an mox post primam unctionem?
R. ubi ponitur effectus, quo Sacramentum hoc essentialiter completur; nam cum Sacramenta sint causæ
moraliter, causant tamen more causarum naturalium, quæ producunt gratiam mox ac essentialiter
completa existunt. iam vero si essentia huius Sacramenti tota subsistat cum unica
unctione alicuius sensus, scilicet prolata de uno sensu, debebit dici, quod gratia producatur
mox ut ista unctio posita est, adeoque reliquæ unctiones requirantur tantum ad integritatem.
Si vero sit dicendum hoc Sacramentum essentialiter consistere in quinque unctionibus, tunc non nisi peracta
unctione postrema gratiam causari dicendum est. Quod vero circa id opinari liceat
colligitur ex dictis q. praeced: propos: 2da.
Quær. 6. utrum hoc Sacramentum iterari possit? R. contra Ivonem Carnotensem
affirmative. 1do patet ex Trid: quod sess. 14. c. 3. inquit: quod si infirmi post susceptam
hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvari poterunt cum
in aliud simile vitæ discrimen inciderint. hinc Bernard. ab Espen nobilis
iurista recentior ex multis monumentis probat extremam unctionem iterari posse
non tantum in morbis realiter ac tempore diversis, sed etiam in eodem morbo cum aperte priori
vitæ periculo infirmus phthisicus, hydropicus etc. in idem probabile periculum
post aliquod tempus relabatur. 1762. 25. Maij. [illegible]